

DIE III. MARTII.

OFFICIUM

S. KUNEGUNDIS

ROMANORVM IMPERATRICIS

AVGVSTÆ, ET VIRGINIS.

ORDINIS S.P. BENEDICTI.

DVPLEX DE PRÆCEPTO.

Pro Regularibus vtriusque sexus eiusdem Ordinis.

Oratio.

DEus, qui Beatæ Kunegundis Virgini tuæ terrena despiciere, & ad cœlestis Imperij culmen anhelare tribuisti, concede quæsumus, vt eius imitatione, calcatis mundi illecebris, ad gaudia æterna securi peruenire valeamus, Per Dominum.

Lectioes primi Nocturni de Epistola beati Pauli Apostoli ad Corint. De Virginibus, vt in commun. Virg.

In secundo Nocturno.

Lectio v.

Kunegundis Augusta Germanorum nobilissima ab ineunte ætate præclara exhibuit sanctitatis indicia, ac Deiparæ Virginis, cui se totam addixerat, patrocinio mundi illecebras, &

fluxas carnis voluptates, ea merum seueritate coercuit, vt virginitatem quoque perpetuam colere, atque angelicam in terris vitam agere proposuerit. Verum, Parentum iussis, qui illam in matrimonium desponderant, obtemperare coacta, illud à cœlesti Sponso, qui pascitur inter lilia, precibus efflagitauit, vt, quem susciperet Virum, virginitatis suæ custodem inueniret.

R. Propter veritatem.

Lectio vj.

Henrico itaque Bavaricæ Duci, cognomento Pio, postea Romanorum Imperatori in matrimonium tradita, raro exemplo virginitatem, ipso annuente, illibatam seruauit; in cuius testimonium cum aliquando

A do,

do, instigante humani generis hoste, suspicio quædam contra ipsam fuisset exorta, nudis pedibus super ignitos vomeres incedens illæsa, egregium suæ innocentie præbuit argumentum: quod Sæctus ipse Henricus supremo mortis tempore appropinquans, abundantius declarauit: accitis namque Imperij Proceribus; alijsque Principibus Viris, ac sanctæ Virginis Consanguineis: quam mihi (inquit) eam assignastis, talem reddo. Virginem dedistis, Virginem reddo.

R. Dilexisti iustitiam.

Lectio vij.

Singulari erga Ecclesias pietate prædita sanctum Henricum coniugem suum ad eas construendas, & locupletandas exhortationibus incitauit, opibus adiuuit. Bambergensem itaque Episcopatum proprijs facultatibus fundatum beato Petro Apostolorum Principi, Romanæque Ecclesiæ vestigalem fecerunt, pluribus alijs templis, & cœnobijs Casarea planè munificentiâ locupletatis. Cumque penè omnia, quæ habebat in terris, Christi Ecclesijs, ac pauperibus distribuisset, seipsam quoque, defuncto viro, in Iesu Christi obsequium impendit, ac sancti Patris Benedicti regulam professâ, & regnum mundi, & omnem ornatum seculi ingenti animi

demissione contemnens; sanctum religiosæ vitæ propositum vsque ad mortem exactissimè custodiuit.

R. Prudentes Virgines.

Lectio viij.

IVgi itaque virtutum exercitio, cum annos quindecim in Cœnobio, bonorum operum meritis cumulata transegisset, ad cœlestis Agni nuptias, quas unicè optauerat, inuitata, sancto sine quieuit. Famulæ suæ sanctitatem Deus illicò multis, & crebris miraculis demonstrauit; nam ad eius tumultum cæci visum, claudi gressum, surdi auditum, muti loquelam, alijsque multis, ac diuturnis affecti languoribus salutem retulerunt; sed illud in primis nobile, quod puluis de sepulchro eius assumptus, sæpè in frumentum conuersti repertus sit. Quibus ritè probatis ab Innocentio Tertio Pontifice maximo, sanctarum Virginum numero est ad scripta.

R. Atterentur.

In tercio Nocturno.

Lectiones in Euangelium.

Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, &c. cum *Homilia sancti Gregorij Papæ, vt in commun. Virgin.*

Missa, vt in comm. Virgin. tantum, quæ incipit: Dilexisti iustitiam, &c. excepta prima oratione, quæ habetur propria, vt supr.

S'Acra Rituum Congregatio suprascriptum Officium cum Lectio-
nibus proprijs, & Oratione S. Kunegundis Virginis Ordinis S. Be-
nedicti duplex de precepto recitandum pro die 3. Martij, prout iacet,
alias concessum ad pias preces Eminentissimi, & Reuerendissimi D.
Cardinalis Boncompagni, diligenter reuisum, & relatum ab Eminen-
tissimo, & Reuerendissimo D. Cardinali Casanate, approbavit pro
usu totius Religionis utriusque sexus S. Benedicti tantum, ac imprimi
posse concessit. Hac die 2. Octobris 1683.

N. Card. Ludouifius.

Locus † Sigillis.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congreg. Secret.

Andreas Castaldus in suo Ri-
tuali lib. 2. sect. 6. cap. 3.
fol. 237. sic ait: *Quia adueniente*
quadagesima, cessat Octaua, de in-
fra eam numquam fiet, nisi ex
speciali Sedis Apostolicæ priuile-
gio, prout à Sacra Rituum Cong-
regatione fuit concessum Ecclesiæ
Barcinonensi sub die 6. Decembris
1608. & tunc licet Officium fiat
de Infraoctauam, cum commem.
Feriæ, prout in Semiduplicibus,
Missæ tamen omnes erant de Fe-
riæ cum commem. Octauæ. Hanc
Castaldi auctoritatem è verbo
ad verbum transcripsi, vt huius
rei rumor per illorum ora volet,

qui proprio iudicio mordicus in-
hærentes, Infraoct. S. P. Benedi-
cti & Scholasticæ, quando illo-
rum celebritas in Quadragesima
colitur, Missam de Feriæ cum
commem. Octauæ renuunt cele-
brare. Quorum errorem ex hac
auctoritate, ita luce clariorem
esse patet, vt hæc res minime in
dubium vocari possit. Enquo-
modo vnicus Auctor qui de Octa-
uarum in quadragesima priuile-
gijs agit, Missam Feriæ tribuit;
quid ni cæteri fecissent, si de hoc
ipso argumentum scribendi as-
sumpissent?

QVIA

QVIA HOC OFFICIUM CODICI MONAS-
tico inferendum est, de hoc ipso Codice alia
corrigitte Errata.

- F** Ol. 11. col. 1. lin. 32. occupatis, lege, occupantis.
Fol. 24. col. 2. lin. penultima, duo, dele.
Fol. 27. col. 2. lin. 21. ignosci, lege, ignosce.
Fol. 60. col. 1. lin. 1. vocare, lege, vacare.
Fol. 165. col. 1. lin. 29. videntes, lege, videntis.

Incipit Oratio ad Benedictum Sena

Venerabilis Pontifex Naxius post laudabi-
lem Afræ conversionem ad Hispaniam profectus,
Secundam eadigi, ubi ad Naragay, galiam fa-
liciter pervenit. Oratio

Deus, qui ad Naxium, Naragay, mag. arq. Pontifex illustri
laurea decorasti, eiusq. corpus admirabili integritate sancisti.
Concede propitius, ut eius deprecatione incolumes gaudia feli-
citati & teus consequamur. Per Dny N. S. Pte.